



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vsvardi Martyrologivm**

**Usuardus <Sangermanensis>**

**Lovanii, 1573**

Beati Hieronymi Svper Eo Ipso Ad Eosdem responsio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42790**

5

BEATI HIERONYMI SV-  
PER EO IPSO AD EOSDEM  
*responsio.*



**C**HROMATIO & Heliodoro sanctis Episcopis Hieronymus Presbyter. Constat Dominum nostrum IESVM CHRISTVM omni die Martyrum suorum triumphos excipere: quorum passiones a sancto Eusebio Cæsariensi Episcopo scriptas reperimus. Nam Constantinus Augustus cum Cæsareâ fuisset ingressus, & diceret memorato antistiti, vt peteret aliqua beneficia Cæsariensi Ecclesiæ profutura: legitur respondisse Eusebium: opibus suis Ecclesiã ditatam nulla petendi beneficia necessitate cõpelli: sibi tamẽ desiderium immobile extitisse, vt quicquid in Republica Romana gestum sit erga Sanctos Dei: iudices iudicibus succedentes in vniuerso orbe Romano sollicita perscrutatione monumenta publica discutiẽdo perquirerent, & qui Martyrũ a quo iudice, in qua prouincia vel ciuitate, qua die, quãue perseuerãtia passionis suæ obtinuerunt palmã, de ipsis archiuis sublata ipsi Eusebio Regio iussu dirigeret. Vnde factum est, vt idoneus relator existens, & Ecclesiasticã Historiam retexeret: & omnium penẽ Martyrum Prouinciarum omnium Romanarum trophæa diligens historiographus declararet: quatenus omni die sacrificium Deo offerentes eorum nomina meminissent, studentes quã die ipso quo

*Vide cap.  
secundum  
libri de Mar-  
tyrologijs.*

E 5 sacrifici-

sacrificium offertur, victores diaboli extitissent  
 & Martyrij sui triumpho pollentes atque ouan-  
 tes, ad Regem suum peruenissent Christum.  
 Hac de causa singulorum mensium: singulo-  
 rumque dierum festa conscripsimus, vt iubere  
 dignabamini, perennem nostræ paruitatis me-  
 moriam fore credentes, cum diebus omnibus  
 per tot annorum spatia sancta sanctorum nomi-  
 na fuerint festiuè celebrata. Et quoniam per sin-  
 gulos dies diuersarum prouinciarum diuersa-  
 rumque vrbium plusquam octingentorum &  
 nongentorum Martyrum sunt nomina nomi-  
 nata: vt nullus dies sit, qui non intra quingento-  
 rum numerum reperiri possit ascriptus, exce-  
 pto die Calendarum Ianuariarum: considerans  
 inter innumerabiles turbas lectoris animum  
 intra vnum mensem posse lassessere, ne id eue-  
 niat, breuiter & succincte eorum qui sunt in  
 amplissima festiuitate in suis locis tantum præ  
 omnibus memoratus sum, vt amputato fastidio  
 vnus de omnibus sufficiat libellus ascriptus:  
 Sane in prima parte libelli omnium beatorum  
 Apostolorum festa conscripsimus: vt dies  
 varij non videantur diuidere, quos vna  
 dignitas Apostolatus in coelesti  
 gloria fecit esse sub-  
 limes.

PRÆ